

41

Q. D. B. U.

DISSERTATIO PHYSICA;

DE

# POROSITATE CORPORUM,

QVAM,

*Annuente Amplissimo Collegio Philosophico in ins-  
cluta, quæ Aboæ est, Academia,*

PRÆSIDE,

CAROLO FRIDER.  
MENNANDER,

SCIENT. NAT. PROF. REG. & ORD.

Atqve

REG. ACAD. SVEC. SCIENT. MEMBR.

*Placido bonorum examini ea, qua par est modestia, sicut*  
**FRIDERICUS REGINALDUS BRANDER,**

*SATACUNDA-FENNO.*

In auditorio Acad. Aboënsi. maximo,  
ad diem XX. Junii H. A. M. S. MDCCL:

ABOÆ, EXCUD. J. H. KÆMPE, REG. ACAD. TYP.

*A Monsieur*

# JEAN LAGER- FLYCHIT, Vice-President au Parlement d'Abo, *Messi.*

On sera moins surpris de voir la raison humaine ren-  
considere, que ses plus sublimes productions se sen-  
tible. En serois-je donc exempt, Messieurs, certes ce me se-  
avourai-je humblement, qu' en ce cas je reconnois la por-  
fertation, c' est moins par un principe de vanité, que par  
Messieurs, de m' accorder Votre généreuse indulgence, &  
ne intention de celui, qui Vous le dedie. Si Vous dai-  
ction, je me trouverai assez recompensé de mes peines &  
ration

Messi.

*Le plus bumble & le plus*  
**FRIDERIC RE-**

*A Monsieur*  
**SIMON LIND-**  
**HEIM,**

Conseiller au même Parlement,

*CURS.*

fermée dans des bornes si étroites, pour peu que l' on  
tent toujours de cette faiblesse, qui en est comme insépa-  
rable une grande présomption, que de me l' imaginer, aussi  
telle de mon génie, & que si je mets au jour cette dis-  
un pur effet de la modestie, avec laquelle, je vous prie,  
de regarder moins au mérite de cet ouvrage, qd à la bon-  
gnez, Messieurs, m' honorer de Votre gracieuse protec-  
m' estimerai trop heureux de me dire avec toute la véne-  
possible

*CURS.*

obéissant de Vos serviteurs

**NAUD BRANDER.**

Consultissimo atque Celeberrimo VIRO,

D<sub>N</sub>. NICOLAO  
HASSELBOM,

Seneschalli locum tenenti per Finlandiam meridio-  
lem æquissimo, Mathematum Professori  
conlummatissimo.

MÆCENATIBUS

I

Submisso.

Nunquam. Satis.  
Favoris. Et. Beni-  
Tesse-

Eriditionis.

Qdem. Sub. Initiis. Studio.  
Spesqve. For-  
Vestrae.

Humillime.

Cum. Voto. Longae-  
Perpetuo.

NOMINUM.

Cliens. De-  
A.

Summe Reverendo atque Amplissimo FIVO,

# DN. GABRIELI LAUREO,

S. S. Theol. Professori primario longe celeberrimo,  
Dioecesis Aboensis Archi-Præposito adcuratissimo,  
Consistorii ecclesiastici Assessori gravissimo, ut &  
Regiæ Academiæ Scientiarum Sveciæ membro ma-  
xime inclito, Ecclesiarumq; Svecanæ Aboensis &  
Nummenensis Pastori longe meritissimo.

## INDULGENTISSIMIS.

N.

Mentis.

b.

Depraedicanda;

gnitatis. Documenta,

rari.

Fasciculum.

rum. Suorum. Colligavit.

tunusque.

Tutelae.

Committit.

vae. Prospexitatis.

Futurus.

VESTRORUM

vetissimus.

Et. R.

*Vir spectatissime integerrima eque fidei,*  
**Dn. JOACHIME DANIEL  
BRANDER,**

Rationarie territorialis superioris Satacundiæ ad-  
curatissime,

**FRATER DILECTISSIME,**

**S**I beneficia, qvibus, Fratrum optime, nullo  
non tempore me Tibi devinxisti, silentii pe-  
plo involverem, ingratissimus certe audire mere-  
rer. Argumenta, qvibus hanc stabiliam adsertio-  
nem, non e longinquo petenda vel anxie con-  
quirenda mihi sunt. Dum enim literas attinge-  
re cœpi, nihil duxisti antiquius, quam ut *Tuis*  
*auspiciis* fundamenta studiorum solida ponerem.  
Postea vero quam, parente fatis functo, omnis  
fere spes auxilii evanescere visa erat, infinita illa  
sapientia rebus meis ita prospexit, ut *Tu* demortui  
locum in me sublevando teneres. Atque ita non  
solum viam, quam ipse calcasti, quo tempore in

*no.*

nostris versatus es castris, mihi commonstrasti;  
sed insuper iis, quæ instituto meo inservire queant,  
mihi etiamnum consulere haud intermittis. Quor-  
sum hæc & Temerarium & arrogans quid moli-  
rer, si hæc aliaque fraternæ caritatis haud vulga-  
ris signa luculentissima rudi admodum penicillo  
depingere sustinerem. Nunc vero debita ad Te re-  
devit decimæ; sed quales? eheu! istorum remu-  
nerationem virium mearum transcendere modum  
adgnoscere cogor. Proinde Iibi, Frater carissi-  
me, hunc qualiscunque ingenii fætum in gratissi-  
mi animi indicium offero. De cetero, velit sumi  
mum Nomen multos Iibi annos & complures u-  
na felicitates in meum gaudium & fulcrum lar-  
giri! sic perpetuo vovet

Fratri sui dilectissimi


Frater ad cineres carissimus,  
**FRIDERICUS REGINALD. BRANDER.**

PI. CXXXIX : 14, 15.

אורך על כו נוראות נפלתו נפלאים משיך ונפשו  
ירעת מארה לא נכח עצמי מפרק אשר עשית בסתת  
רקפתני בחתתו רוג אראן

Folio 14 recto

ERICRICUS REGIMENTI BRUNDESI



§ I.

**S**ine experientia, fonte inexhausto veritatum uberrimoque, in physicis solidi quid consequi posse vanam esse ipem, quin potius savia tum proferri somnia, & pro rebus ipsis umbras captari, peritiores naturae indagatores haud ignorant. Quam ob rem nil nisi quod illa confirmatum fuerit, ceu fundamentum, cui reliqua asserta tuto superstruantur, admittunt. Quae autem de corporibus hac ratione detecta sunt, vel ejus indolis deprehenduntur, ut omnia adficiant, atque quibus ablatis eadem existere desinunt; vel quibusdam saltim & certis competunt, ac salva essentia corporum ab ipsis removeri queunt. Haec vero generatim fusius discutere, quum longius ab instituto remota sint nostro; ita, ne extra oleas vagemur, cogitationes eo dirigamus nostras, ut inter affectiones corporum Porositatem eorum in exiguum specimen juvenilium adhuc studiorum contemplemur. Velis vero, b. l. ex candore animi Tui tenues has mularum primitias mitiori perstringere centuræ, & respicere animum in bonis lite-

ris proficiendi cupidum, qvamvis nobile hoc argumentum pro dignitate sua a me tractatum haud sit; ætas enim prorsus juvenilis & ingenium exile majora præstare nequit.

## §. II.

**Q**uatenus particulæ corpora constituentes res sunt finitæ & extensæ, eatenus qvoqve certa quantitate & figura gaudent. Superficies autem duorum aut plurium corporum, similium aut dissimiliū, maxime licet politas & ad se invicem aptatas, plurimas tamen inter se relinqvere cavitates & eminentolas, tralatitium est. Unde idem in compositione corporum ex minutis illis particulis, qvæcunqve istis figura & quantitas adsingatur, obtinere, facile perspicitur. Summe discrepantem esse horum punctorum physicorum figuram & coordinatiōnem inde concludit *Franciscus Tertius de Latus* (a) qvod nulla sit species figurarum, qvæ non competit alicui corpori etiam composito; hinc tanto magis perhibendum ducit, nullam esse figurarum sortem, qvam de facto non habeant stamina corporum, cum hæc sint numero longe plura, qvam massæ compositæ, cumqve ex talibus composita fiant. Sed, si vel fingeremus, stamina iſhæc ad unum omnia eandem possidere figuram regularem, ex. gr. cubicam vel prismaticam, coordinatio tamen illorum neutiquam ea ubique contingere, ut latera lateribus adaptarentur. Ex qvibus igitur cuivis pro-

(a) Magisterii naturae &amp; artis t. I. p. 48.

elive est intellectu, interstitia sive poros dari in corporibus, qvi nihil aliud sunt, nisi extensiones intra partes solidas, vacuae a materia cohærente; & exinde ortæ, qvod particulæ minimæ in qvibusdam saltim punctis contactus, non vero in omnibus, se attingant. Corpus igitur recte dicitur porosum, qvod ejusmodi poris vel interstitiis est pertulum; & tatis superque adparet, porositatem esse illam corporum affectionem, qva partes pauciores solidæ expansæ & dilatatae majus expolcunt spatium, qva- que inter ramenta contactus habent cavernulas & spatiola, vel inania prorsus, vel materia aliqua heterogenea repleta.

## §. III.

**A** Nte omnia vero in eo erimus, ut porositatem in hoc rerum ordine argumentis ab experientia tam erudita, qvam vulgari desuntis extra omnem aleam dubitationis collocemus. Primo itaque digna est, qvæ expendatur, experientia ab Hariotto, Wolffio (b) aliisque in auro folia, to animadversa. Peilucidum enim hoc est, & lu- men transmittit, ita ut objeta, eaque diversis tincta coloribus, per illud conspiciantur. Qvum Florentini aquæ globo aureo inclusæ compressibilitatem explorare voluerunt, illam per poros hujus excludare experti sunt. Unde plus satis adparet, aurum, omnium materiarum hactenus cognitarum densissimum, poris esse pertulum, non lumini mo-

do, sed etiam aquæ transitum concedentibus. Qvod itaque ceteræ omnes poris instructæ sint, haud obscure hinc colligitur. Dum corpora solutionem subeunt, nexus partium a menstruis disrumpi cernimus. Hoc pacto aquam salia quævis sive mineralia, sive vegetabilia, sive animalia solvere ostendit Boerbaus (c). Ignem quoque fundere metalla, aliorumque corporum vel solidorum, vel fluidorum vinculum destruere, notissimum est. Ut alias jam observationes, in solutione tam naturali quam artificiali obvias, brevitati studentes silentio transeamus. Quænam quælo alia hic excoxitari potest causa, quam quod menstrua porosam corporum intrent texturam, hosque producant effectus? Nec mirum, quum fluidorum partes tantæ sint exiguitatis, ut Nierentyt (d) 13000. particularum harum exilissimarum in apice aciculae locum obtinere, ei que adhærere contendat. Demonstratur quoque porositas ex effervescentiis, fermentationibus, præcipitationibus, aliisque operationibus chemicis, in quibus mira partium consociatio aut repugnantia conspicua est. Quid expansiones & rarefactiones, non solum in aëre & liqvoribus sic dictis spirituosis, æthereis, oleofisis, aut etiam pulvere pyro; sed & in durissimis metallis, lapidibus, vasisque vitreis, quæ Otto de Gverike (e) calida tempestate leviora,

(c) Chemiae part. i. pag. 76. (d) Rechter gebrauch der Betrachtungen aller dingey dieter welt / 20. Bett. §. 7. p. m. 683. (e) De Vacuo, Lib. 3. Cap. 3.

viora, frigida vero graviora invenit, obſervandæ, aliud ſunt, qvam certifima porositatis indicia? Obſervationibus quoqve microscopicis porositas universalis firmiffime ſtabilitur. Ita, ut unicum adducamus exemplum, Wolffius (f) granula arenæ vel rubræ vel albæ ſubtilioris exilia microscopii ſubſidio instar aluminis pellucida & in lumine ſolaris iridis ducere colores expertus eit.

## §. IV.

**P**orositas fluidorum præterea variis experimentis adſtruitur. Fluidi aërei porositatem oſtent transitus luminis, compressibilitas ejusdem & dilatabilitas, qvodqve exhalationes globi terraqve copioſiſſimæ poſſint intra ſinus ejus recipi. Ignem, ſi singularis materiæ corpus judicetur, poros obtinere incredibilis ejus ſparsilitas & per vitra cauſtica conſtipatio, nec non tinctura colorqve adeo varians, demonſtrat. Si vero in motu vibratario partium corporis calidi colloctetur, & tum poros corporum arguit. Idem in fluidis aquae animadvertitur. Aquam raro aut nunquam eſſe puram, ſed mixturis particolarum ſubtiliſſimarum, ex omnibus tere corporibus terrestribus, iploqve aere refertam, pervulgatum eſt; unde adparet, eſſe aquæ plurima loculamenta, in quibus heterogenea hæ hospitia nanciuntur. Qvodſi aqua & oleum vitrioli inter ſe miſceantur, minus occupare ſpatium, quam separata, uno quatuor absorbente alterum

(f) §. 83. 84. Tom. 3. Experim.

alterum, & poros alterius subintrante, deprehenduntur. Notum etiam est, aquam salis certam tantum mensuram resolvere, quod reliquum est, insolutum relinqueret. Si vero huic aquae imprægnatae indantur aliae salium species, diluentur & absorbebuntur. Quod & poros aquæ inesse, & illos esse diversissimos, ostendit. Oleorum quoque porositas pluribus observationibus evinci potest, in primis exinde, quod inter se, & cum liqvoribus aliis, misceri queant.

## §. V.

**U**T huic rei sua constet veritas, ad solida jam progrediemur, & pauca exinde porositatis exempla delibabimus. Dum lapidum structuram oculis subjicimus, in illis, sive crudi tuerint, sive politi, pori manifeste satis comparent. Glaberima marmorea columna perpendiculariter erecta ex affusione aquæ madefit, stagnantibus in poris ejus aquævis particulis. Lrides etiam sudare, calcinari, macerari & igne fundi posse constat, quæ omnia pororum in illis præalentiam arguunt. Absent fusione in vitrum, quod quamvis adeo compactum sit corpus, ut aqua ante 150 annos repletum, eandem ejus quantitatem servaverit, (g) utque mercurium, spiritus volatiles & menstrua diutius conservare possit, quam vas quodcunque aliud, tamen & hoc poris copiosis distinguitur.

Lucem

(g) *Musschenbræcks Inledning til Naturkunnigheten*  
§. 723.

Lucem enim transmittit, personat, imo, voce diffringi potest, & variis coloribus imbui. Adsunt in vitris etiam politissimis cavitates, in quas uncinulos pedum defigunt insecta, dum iisdem perpendicolariter collocatis inambulant. Ipsa gemmarum & metallorum origo & productio porositatis illorum testis erit. In eo enim plerique contentiunt, gemmas & chrystallos in fluido generari, materiam quoque metallorum esse fluidum in vapores halituolos resolutum & extenuatum; ac proinde poros terræ lapidumque meatus pervadere, atque in matricibus convenientibus collectum pro illarum diversitate diversa constituere metalla. Petrificata denique fluido cuidam, materiam mineralis in interstitia rei petrificandæ deferenti, originem debere, in Zoolitho denticuli viridi-cærulei demonstrare nititur *Reaumur* (b). Ipsa metalla igne calcere, fundi, expurgari, fusaque cum mineralibus aliis commisceri posse, indeque exsurgere varia æris tactitii genera, vel antiquis adamara, hodie vero deperdita, vel qualibus hodienum utimur, quis est, qui ignorat? Ast hæc totidem porositatis in illis argumenta sunt; ut & illud, quod aqua regis aurum, aqua fortis reliqua metalla pleraque dissolvat, eujus tamen etiam in aurum vires nuperrime in patria detexit *Exper. D. D. & Assessor G. Brandt* (i). Si vero oculis intueri porositatem metallorum volueris,

(b) *Hist. de l' Academie Royale A. 1715. p. 1.*

(i) *Kongl. Witenkaps Acad. handl. för året 1748. p. 45. seq.*

DE POROSITATE CORPORUM.

Iueris, subde politissimam chalybem microscopio,  
& turgentes e vallibus colles pororum videbis; dif-  
fracta autem eadem, depressiones & protuberan-  
tia oculis etiam nudis pudentur.

§. VI.

**R**egnum vegetabile uberrimis abundare poris ex-  
tentaminibus *Marc. Malpighii & Neh. Grewii*  
aliorumque innotescit, & jucundum spectaculum  
præbet observatori pororum in diversis vegetabili-  
um speciebus mira diversitas. *Wolffius* (k) folia,  
cortices, fructus, aliasque partes plantarum antliae  
pneumaticæ subjicit, viditque bullulas adscenden-  
tes, quæ poros in illis arguunt. Sudores etiam  
qvarundam plantarum tempore nocturno & ma-  
tutino sub dio idem innuunt. Dari vero in utro-  
que regno, vegetabili & animali, interstitiola ejus-  
modi inter partes corpora componentes, nutritio  
plantarum & animalium manifeste evincit. Hæc enim,  
nisi porositas supponatur, ne concipi quidem potest.  
Nam ad succi alibilis præparationem, depuratio-  
nem, & ad quamlibet partem nutriendam translit-  
um, aliasque tam individui, quam speciei conser-  
vationi inservientes actiones perficiendas, illa ne-  
cessario requiritur, quum nullus in absoluta impe-  
netrabilitate motui detur locus. Aliud argumen-  
tum transpiratio utriusque regni suppeditat, cujus  
in vegetabilibus rationem & copiam in primis *Hale-  
sius*, in animalibus *Sanctorius* & *Keillius* determina-  
runt;

(k). §. 71. Tom. 3. Experim.

runt. Est hæc in plantis tanta, ut roris marini odor ad centum milliaria Gallica fuerit delatus, utque succus, qui ex betula verno tempore extra hi potest, tanti sit ponderis, quanti tota arbor simul cum radicibus & ramis, ceu in transactionibus Anglicanis *H. Oldenburgii* legitur. Maximam heliotropii, cui erat trium pedum altitudo cum dimidio, pondus trium librarum, & superficies extra terram 39. pedum quadratorum, transpirationem, die sicco & calido, Julio & Augusto mense, fuisse libræ unius & 14. unciarum, medium duodecim horarum diurnarum 1. libræ, 4. unc. noctis vero calidæ & terrenæ trium circiter unciarum, observavit *Halesius*. Sed dum vel tantillum roris aderat, cessavit transpiratio; sub rore vero copioiore vel pluvia 2. vel 3. unciarum planta fecit augmentum. In homine tantam esse perspirationem intensibilem triginta annorum experimentis didicit *Sanctorius*, ut ultra 40. unciae per illam ut plurimum evacuentur spatio unius noctis, cum tamen lotii illo tempore non nisi 16, excrementorum 4. abeant. (1) In aëre vero Britannico ex homine 24. horarum spatio transpirare circiter 31. uncias observavit *Keillius*. Intensibilem autem hanc evacuationem per tam exiguos poros perfici ostendit *Leuvenhækius* (m), ut in spatio, quod minutissimæ arenæ granulum replet, 50. eorum adsint & videri queant. Ut ta-

B

ceam

(1) Medicin. Stat. Sect. 1. §. 59.

(m) Epist. p. 2. Cap. 101.

ceam illa porositatem in regno animali adstruentia experimenta, qvæ anatomici nobis exhibent, in primis *Ruyshius* & *Abinus*, qui artificialibus suis inspersionibus omnes solidas animalium partes majoribus & minoribus constare poris demonstrarunt. *Wolffius* (n), siphone suo anatomico, cuticulas etiam subtilissimas, pro una vulgo habitas, se divisisse porosque has distingventes detexisse perhibet. Dum porro corporis animalis partes, prouti pellem, cutem, tunicas ventriculi & intestinorum &c. eidem siphoni superinduxit, illas meatibus scatere observavit. *Boyleus* cantharidum cervici extus applicatarum effluvia in meatus usqve urinarios penetrasse ex propria testatur experientia. (o) Sed sufficient adducta, ad ostendendam in omni specie corporum pororum praetentiam. De reliquis iudicium ferri ex his poterit, qvæ dicta sunt hactenus. Cui vero uberiora illius rei testimonia perlustrare in delicis tuerit, adeat experimentatores & micrographos, in primis autem Democriti illius Anglorum, *Rob. Boylei* tractatum de atmosphaeris corporum consenserunt, & tentamen porologicum, ubi copia rerum occurrit, huic instituto lucem ternerantum.

## §. VII.

**E**A, qvæ sic rudi tetigimus brachio, de porositate in classe singula corporum testimonium perhibent. Neutiquam vero inde licet concludere,

poro-

(n) §. 69. 70. Tom. 3. Experim.

(o) De effluviorum subtilitate.

porositatem esse essentiale quid; qualitatem enim  
quandam & modum corporum illam esse, facile  
deprehendimus. Essentiale nimur dicimus, qvod  
talva essentia a rebus ipsis divelli nequit. Corpo-  
ra, licet expandantur aut dilatentur, atque ita ma-  
jus occupent spatum, subsistere posse, experien-  
tia communi extra omnem dubitationis aleam po-  
situm est. Qvis etiam compressibilitatem corporibus  
tam indivulso nexu conjunctam statuerit, ut, illa sub-  
latæ, corporum notio pereat? Atomos esse corpuscula  
per se & solida, omnisque porositatis expertia, phi-  
losophi non sine ratione contendunt. E contrario  
spongia corpus vix aliud habetur extensibilius, pe-  
netrabilius & compressibilis. Hanc vero, æque  
ac illos, esse corpus, qvis est qui dubitet? Ex quin-  
bus, porositatem attributis corporum neutriq;am  
esse adveniendam, expeditum evadit. Quid multis?  
ponamus corpus quoddam dari, cujus attributum  
sit porositas: tum prima etiam elementa & par-  
tes omnes, illa affectione, ceu attributis reliquis,  
instructæ sint, oportet. Atque hac ratione erit cor-  
pus, per hypothesin, & non erit; qvia nulla so-  
lida pars tam exigua concipi posset, qvæ poris ca-  
reret; adeoque totum erit porosum, qvale vacuum  
seu inane merito dicitur, corporique contradistin-  
gitur. Qvod ipsum qvum in principium contra-  
dictionis impingat: manifesto adparet, porositatem  
numero attributorum eximi debere. Erit ergo qua-  
litas quædam corporum, qvæ aliis majori aliis mi-  
noris

nori inhæret gradu. Omnis qvippe eorum adfæctio, ceu jam obſervavimus, vel attributi vel quaſitatis nomine venit.

## §. VIII.

**O**rdinis jam exigit ratio, ut in id explorandum, quomodo porositas in diversis comparata sit corporibus, attentionem propius dirigamus nostram. Gravitatem, æque ac relativa corporum attributa, recte minimis adscribi particulis, facili peripicitur negotio. Corpus igitur, ex pluribus constructum particulis, majorem altero, in quo pauciores sunt aggregatae, habere gravitatem, omnis farebitur. Corpus autem appellatur densum, in quo multæ, rarum, in quo pauciores particulae idem replent spatium; ex quo, quando densius aut rarius dicuntur corpus, probe intelligitur. Unde prona fluit consequentia, corpus majoris densitatis majori, minoris minori praeditum esse gravitate. Residuum autem illud, quo unum praæ altero gravius comprehenditur, specifica vel propria fvevit appellari. Gravitates itaque specificas corporum esse ut illorum densitates, exinde evidentissimum fit. Hinc porro recte concluditur, corpus minoris gravitatis, pororum numero alteri praecellere; majoris vero, paucioribus interspersum esse, licet ratione voluminis nulla inter duo vel plura hæc corpora conspiciantur differentia; atque æqualis voluminis & gravitatis æquali quoque porositate pollere. Perspecta itaque corporis alicujus gravitate & mo-

le, porositas illius respectu alterius neque difficilis est investigatu. Qvæ licet ita sint, quantitatem tamen pororum ad partes solidas in corporibus non æque facile determinare valemus. Ad menturam enim revocato corporis alicujus volumine, non porositas vel soliditas sola, sed utraqve simul, innotescit. Si ab invicem cum certitudine separandæ & seorsim cognoscendæ erunt, corpus aliquod, vel omnium expers pororum, vel in quo numerus eorum aut partium solidarum jam sit exploratus, ostendatur, quo ipso ceterorum rationem ad illud exigere valeremus. Pari enim ratione ac *Musschenbroekius* (p) ex posita certa auri densitate, aquæ & suberi porositatem ad ipsorum soliditatem explorare annis est, porositatem cuiusque corporis rimari possemus. Qvum vero nullum ejusmodi corpus, quod nobis hac in re enodanda subsidio esse queat, hactenus sit inventum: ita illa ex earum in physicis est numero, quæ posteritati copiosam materiem observationes & experimenta singulari industria instituendi præbitura erunt. Parit autem pororum in diversis corporibus diversa ratio varias in illis diversitates. Inde est, quod in reddenda ratione duritiei, mollitiei, fluiditatis, fragilitatis, flexibilitatis, elasticitatis corporum etiam ad porositatem eorundem sit respiciendum. Nec in uno eodemque corpore continuo immota & invariata persistit porositas. Cum enim diversis an-

ni temporibus variet pondus corporum, cum expandantur aliquantum calore, condensentur frigore, vel inde adparet, subire porositatem mutationes, & elementorum potissimum actione, jam constrictiorem, jam laxiorem reddi. Fatetur tamen, his causis non in omnibus corporibus eundem aut æqualem produci effectum. Ad horum enim constitutionem & naturam diversam necessum est ut simul respiciatur.

## §. IX.

**P**orositate sic breviter delineata, supereft, ut, an aliquid poros repleat? paucis perstringamus verbis. Dum hujus rei tractationem fulcimur, id statim monendum videtur, ut inter majores & minores poros probe discernatur. Licet in illis fluida ob particularum subtilitatem hospitali concedamus, quum tamen & haec ipsa suis etiam praedita sint poris, neque omnes poros corporum, in quibus deprehenduntur, ingredi queant, spatiola minima in iis vacua admittantur oportet. Hoc enim nisi esset, sed si interstitia illa materia quadrangula perfecte plena essent: omnia corpora ejusdem fore ponderis, & eandem auri atque plumæ sub æquali volumine gravitatem, ex eo aperte flueret. Id, quod experientiis adversatur indubius, & Lucretius (<sup>q</sup>) ex eodem intulit fundamento. Gravitatis enim actionem quantitati materiæ semper esse proportionalem inculcavit Newtonus & cum illo aliis,

(q) Lib. 1. de nat. rerum p. m. 57.

alii, idque experimento cum pluma, lana & numero aureo in vacuo Boyleano instituto confirmarunt. Hinc rationem, cur aurum pluma gravius reperiatur, illam esse animadvertisimus, quod multo plus materiae & minus vacui illud contineat. Et sic in reliquis. Motum quoque, vel integrorum corporum, vel etiam partium corporis, dum illae jam compressae, jam dilatatae loco cedunt, & nova spatiola poros interjacentia dimensione sua repellent, absque vacuo æque impossibilem futurum multi ostenderunt, ac si quis per insuperabilia impedimenta iter aliquo convertere vellet. Neque in ipso Cartesiano systemate, absque admissis spatii vacuis, motus alicuius possibilitatem nos quidem concipere possumus. Supponit, quod notum est, licet rationibus cubicis hanc & reliquas hypotheses suas non superstruat, universum fuisse creatum plenum, idque cubis exiguis. Detur ergo certus numerus cuborum arctissime sibi adjacentium, universum repræsentantium. Quis motum in hac congerie sibi exhibere valet, nisi aliquis horum loco moveatur, nisi angulos, antequam deteri possunt, adjacentibus cubis obvertat, & nisi spatii partem, quam deterit, vacuum relinqvat? Taceo alios Cartesianorum præsens negotium spectantes errores, utpote dum essentiam corporum in extensione collocant; quo facto & reliquam inter corpus & spatum differentiam tollunt, & porositatem, quamvis ratione & experientia ab unde evictam, eliminant; partes vero corporis contiguous

tigias in continuas, ex actualibus in potentiales, immutant. Post detectam autem attractionem, quæ pro ratione punctorum contactus se habet, manifestum est, quod si per omnimodam plenitudinem in omni punto corpora se contigissent, mox omnia in unam massam arctissime cohærentem fuissent abitura.

## §. X.

**N**ON ignoro, plurima adhuc de pororum in corporibus varietate & affectionibus posse commemorari, eaque nec contemnenda, nec injuncta; rerum tamen mearum habitus cogit me his adqviescere. Ne vero ultima cœpto delit manus, ac ne opella nostra plane evadat mutila & occupatio otiosa, id tandem agamus, ut usus illi prorsus eximii, quos, porositatem corporibus indendo, his divina contulit manus, in nostram cadant considerationem, quum ex inspectione operis cognoscere & glorificare opificem par sit. Quod si enim animam ad stupendam mirabilemque pororum constructionem advertamus: illustria plane immensæ bonitatis, sapientiæ & potentiæ comparent documenta. Quum vero hæc innumera fere sint, atque putare, se omnes fines divinos exacte adsequi posse, temerarium ducamus: aliquos saltim observasse sufficiat. Elucet hinc mira naturæ parsimonia, quæ, porositate corporibus concessa, volumen eorum ad constituendam hanc rerum compagem auxit & dilatavit. Ad varias in corpori-

bus proprietates & actiones porositatem præterea esse necessariam superius dicta ostendunt. Habent hinc corpora quælibet gravitatem suam specificam , illosqve, qui inde in universum redundant, usus. Qvnam sint porositatis partes in ortu mineralium , in generatione , vita , nutritione, sanitate & transpiratione vegetabilium & animalium , id ex antea adlatis colligi potest. Omnem porro sensationem regni animalis a porositate pendere nemo non , cui, qva ea fiat ratione , ignoruit , fatebitur. Qvum rerum externarum in papillos fibrillasqve nerveas organorum sensoriorum impressione , hujusqve celerrima ad cerebrum propagatione , producatur sensatio , motus hos , instantaneos fere , poros requirere intelligitur. Colores, cum a diversa radiorum lucis retractione orientur, & corpora, pro diversa superficierum dispositione, cavitatum nimirum & eminentiarum constitutio- ne, hos vel illos refringant: facile adparet, quanti momenti circa eos producendos sit porositas. Si enim superficies omnes planæ essent & unitæ, diversitas colorum periret, & album continuo repercuteretur lumen. Sed qvid luminis facimus men- tionem ? Hoc nullum foret , sed tenebris Cim- meriis omnia essent circumdata , si porosa non forent ejus media ; per solidum enim neutiquam ad nos pervenire posset. Qvoniام porro tonus in contremiscentia particularum minimarum consistit, ejusqve propagatio fit per aërem , porositatis, tam

in corporibus ipsis sonoris, qvam ejus vehiculo, necessitas patet. Dum præterea gustus a particularum gustabilium in ore solutione, & olfactus ab odorabilium in organum actione dependet: ita insignis porositatis usus hic iterum elucescit. Imo, ut paucis multa complectamur, tanti ponderis est porositas, ut sine illa omnia, qvæ ordine elegan-  
tissimo jam sunt conspicua, in rude quoddam  
chaos & materiam inertem relaberentur. Qvis i-  
gitur, vel hunc varium ac multiplicem porositatis  
ulum expendens, indeqve de summi Conditoris  
bonitate, qva voluit, sapientia, qva ordinavit, po-  
tentia & virtute, qva potuit, convictus, ad omni-  
gena ejus in nos collata beneficia pia grataqve  
mente agnoscenda, illumqve ipsum nunquam non  
devenerandum, & pleno ac sincero cordis affe-

ctu celebrandum, totus non inflammabitur?

C. S. G.



## Min käre Broder.

Naturens bok at läsa i /  
Desh ännun rått betrachta /  
För wärdigt alla ej ansi /  
Men många helt förachta.

Dels tro de mōdan alt för stor /  
När kundskap deri sökes ;  
Dels tycka ock/ at fåfängt wor  
Din wishet dermed ökes.

Men dese weta icke rått  
Hwem som des ursprung warit ;  
De sluta på et wrångwist fått /  
Mot det man steds erfarit.

Ey i naturen ristadt är  
Ju tecken af desh åra /  
Som henne med sin almogt här/  
Som allom ej är nära.

Hans godhet man der all ting ser  
Til högsta måttet hosa ;  
Dch wishet tyckes ändå mer  
I minsta tingen lyha.

Den

Den giör altså då icke rått /  
Som HErrans werck bemöter  
Uppå et alt för hoglöst sätt ;  
Naturens bok ej skötter.

Min Bror / at I bland detta folck /  
Bå intet sätt bör nämna /  
Dertil Ert arbet är nu tolk /  
Som fram i liuet lämnas.

Er flit / Er dygd ej rosar jag ;  
Af hiertat höfs mig önska /  
At hvarje stund och hvarje dag /  
Er wälfärd steds må grönsta.

Er himlen dele mycket godt /  
Af nögen och af trefnad !  
Ts jag / när I til fullo fått /  
Har nog i all min lefnad.

OTTO JULIUS BRANDER  
*S tacundensie.*